Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 951
Quelle:
Copyright:

in *Libros* distinctus non est. Extrema ubique: *dignis in præsenti vita collaudare servitijs.*

II. *fol.* 40. id, quod e praemissa *Praefatione generali* praesumendum erat: *Incipit liber ecclesiastes hoc est celeth.* Lege *kobeleth*, קהלת. In *Ecclesiasten* se scripsisse *Beda* ipse testatur in Indiculo Lucubrationum suarum, quem ab *Sigeberto*, *Anonymo Mellic.* et *Trithemio* exscriptum, nescio qua Editorum oscitantia, in Edit. *cit. Colon.* 1688. T. III. ad calcem *Breviarii Eccl. Historiae Gent. Anglor. col.* 151. desideras; habes vero in *Rerum Brit. Scriptorib. Hier. Commelini Heidelb.* 1587. p. 208. f. *In Parabolas*, ait, *Ecclesiasten & Cantica canticorum;* eodem igitur ordine, quo se in *Codice* praesenti excipiunt. Unde hiat *Coloniensis* Editio a *Parabolis* ad *Cantica* transsiliens, cumque *Bedae* solertissimus ἐπιχωριος *Guil. Caveus* non nisi unicum *Collegii Balliol. Oxon.* Exemplum *ms.* p. 615. edit. *Basil.* 1741. *Vol.* I. f. excitet, rarissimam esse oportet *Bedae in Ecclesiasten* Commentationem. Atque en illam Editori apud nos paratam. Init: *Salemonis hic liber qui ecclesiastes appellatur. proprie concionator dicitur. In contione uero sententia promitur. per quam tumultuose turbe seditio comprimatur. et cum multi diuersa sentiunt. per contionantis uerba ad unam sententiam perducuntur. Hic igitur liber idcirco concionator dicitur. quia Salemon in eo quasi tumultuantis turbe suscepit sensum. ut ea per inquisitionem dicat. que fortasse per temptationem imperita mens sentiat.* &c. Finit autem: *Et cuncta que fiunt adducet deus in iudicium pro omni errato siue bonum siue malum sit. Hoc est quod ait apostolus. In die qua iudicabit deus occulta hominum secundum euangelium meum. Et iterum. Omnes enim nos oportet stare ante tribunal christi. ut recipiat unusquisque prout gessit siue bonum siue malum.* Et minio: *Explicit liber ecclesiastes id est celeth.*

III. *fol.* 58. p. 2. *Incipit cantica cant. i. syrasirim.* Lege *Schir Hasschirim* שיר השירים. Praeit Ogdostichon illud: *Hunc cecinit Salomon* &c. quod produxi *Vol.* I. P. 1. *col.* 95. sed emendatius, nam *et thalami* pro *et thalamos*, *mente tua* pro *menti tuae*, *illa sonabunt* pro *ille sonabit* rectius hic legitur. Versus hos, velut omni patellae operculum, variis *Canticorum* Expositionibus pro Scribarum libitu praefixos esse censeo. Expositio enim, quam *l. cit.* antecedunt, a praesenti diversa est, ut initia conferenti patebit. Praesens videlicet ita inchoat: *Osculetur me osculo oris sui. Vox antique ecclesie uisionem atque reconciliationem sponsi sui ad deum postulantis. Osculum enim reconciliationem significat. Ac si diceret. Tangat me dulcedine presentie sue. quam sepius a prophetis promissam audiui* &c. Et finit: *Hinnulus propter uarietatem uirtutum. qui cum carne ad celos ascendit. cum ipsa uersatus est in terris. Montes aromatum angeli intelliguntur. super quos exaltatus est homo assumptus. Amen.*

Atque